

L. 0 72



Kem 241

(1-277)



(10)

DISSERTATIO INAVGVRALIS  
CHIRVRGICO-MEDICA  
SISTENS CASVM  
SPINAE VENTOSAE FELI-  
CITER CVRATAE,

Q V A M

CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA,  
PRO LEGITIME OBTINENDO DOCTORIS IN  
MEDICINA GRADV,  
P R A E S I D E  
IO. MELCHIORE LVTHER,  
PHIL. ET MED. DR. VTRIVSQVE FACVLT. PROFESS. PVBL. ET  
ADSESSORE ORDINARIO.

PVBLYCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS,  
IOAN. FRIDERICVS HAEBERLEIN,  
NORIMBERGENSIS,

DIE VII. OCTOBR. ANN. MDCCLXXXII.  
IN AVDITORIO MEDICO HORA X - XII.

---

ERFORDIAE, LITTERIS NONNIANIS.



DISSERTATIO INAVGURALIS  
CHIRURGICO-MEDICA  
SUIUS CIVIS  
SPINAE VENTROSAE FELLI-  
CITER CURATAE.

PRÆSIDIO  
PUB. LEGITIME ORTHODO. DOCTORIS IN  
MEDICINA GRADU.

IO. MELCHIORE LUTHER,  
PHIL. ET MED. DR. STRYSSOVE SACRAT. PROF. PUB. ET  
ADSSORRE ORDINARIO.

PUBLICO EXAMINIS EXAMINI SUBMITTIT  
AUTOR ET RESPONDENS  
IOAN. FRIDERICUS HALLERLIN

NOT. HALLERLIN  
DIE VII. OCTOB. ANN. MDCCCLXXII.  
IN AUSTRIÆ MEDICO HORA V. III.

ERFORDIÆ, LUTHERI NOMINIBUS.





I. N. D.

HISTORIA

SPINAE VENTOSAE OSSIS HUMERI IN EXTREMITATE INFERIORE, EX METASTASI MIASMATIS SCABIOSI ORTAE, PER NOVEM ANNOS DVRATAE, ET TANDEM FELICITER CVRATAE.



H onesta mercatoris uxor, annorum triginta quinque, trium liberorum mater, staturæ mediocris, ob systema nervosum valde irritabile in animi commotiones maxime prona, tem-

A 2

pera-





peramenti cholericò-sanguinei, in civitate aliquot miliaria abhinc distante commorans, per novem annos spina ventosa in extremitate inferiore ossis humeri sinistri, exostosi, atque hinc antibrachii anchylosi, nec non fistulis in ipsam articulationem penetrantibus sociata, laboraverat.

A primis jam annis ardore quodam in superficie cutis vexabatur, nec non lippitudine quasi chronica affligebatur. Anno decimo quarto fluxus menstruus jam apparebat, qui vero non ordinatam, sed mox copiosius, mox parcius, aut omnino non fluendo, periodum absolvebar.

Annum ætatis duodecimum habenti, in tota fere corporis superficie comparebant pustulæ suppurantes, quæ ex descriptione mihi facta, veram scabiem humidam fuisse detegebant; quam ex pudore sine ullo interno medicaminum usu, pro more malo his in casibus solito, unguento ex sulphure composito repulit, & ad speciem sanavit. Et licet post longum temporis spatium præsen-

sen-





sentia suæ signa salutariter iterum daret, continuo tamen sine ulla evacuatione facta, unguento mox memorato repellatur. In hoc rerum statu matrimonium inibat.

Sanitatis conditio in primo puerperio erat mediocris, & nihil aduersi memoratu digni experiebatur, præter id, quod peracto puerperio menses redeuntes inordinate iterum comparerent, & lippitudo ingravesceret, dolorque punctorius in articulatione ossis humeri cum cubito persentiretur. Anno tandem millesimo septingentesimo septimo primo in condylo externo ossis humeri dolores osteocopi ægrotam excruciabant, exurgente simul tumore, nucis juglandis magnitudine, qui mox augebatur, mox imminuebatur, ejusque color ruber mox in pallidum & vicissim pallidus in rubrum mutabatur.

Hæc rerum conditio trium annorum spatium emeticabatur; donec ex improvise tumor sponte aperiretur, & ichorem valde dilutum, sine ulla tamen dolorum

remissione effunderet. Chirurgus loci ea de causa vocatus, ulcus unguento digestivo & imposto emplastro discutiente deligabat; suppuratione exin facta auctiori, & dolores simul augebantur. Dilatationes a chirurgo aliquot septimanis post forcipe institutæ, similem effectum adversum relinquebant. Anno dimidio elapso, tumore & anchylosi auctis, ægræta chirurgum dimittebat, ulcusque variis unguentis & emplastris ex axungiiis factis, & vel ab empiricis vel anibus specifica domestica possidere somniantibus, impetratis, ipsa deligabat. Has inter personas principem locum tenebat ejus loci carnifex, ex præjudicio vulgi, illum, qui ad cadavera deglubenda, vel maleficum trucidandum nescio quo casu destinatus, virtutem innatam morbos graviores abigendi possidere. Ex unguenti ac pulveris insperfi usu hujus hominis, ulcus quidem exsiccabatur, tumor autem auctis simul doloribus, in majus spatium extendebatur. Hoc in rerum statu tertiæ graviditatis signa apparebant, qua durante primus chirurgus ulcus iterum deligare curavit. Ultimo ante partum mense, dolores ita ingravescebant, ac miseram ita macie conficiebant, ut sceleti vivi faciem re-  
præ-





præsentaret; qua de causa celebris Professor vicina  
Univerſitatis conſulebatur.

Hic factis chirurgi male contentus, remedia  
ad vulneris deligationem adhibita, mutabat; ulte-  
riora vero adhibenda poſt puerperium uſque procras-  
tinabat.

In feſto paſchatis Anni milleſimi ſeptingentefi-  
mi ſeptuageſimi ſeptimi partu ſat felici edebat fi-  
liolum adhuc vivum, ſed eadem acrimonia, qua ma-  
ter in juvenute laboraverat, affectum.

Ad ulceris deligationem ſuſcipiendam alius loci  
chirurgus poſthæc eligebatur; morbus ſpina vento-  
ſa definiebatur, huicque tam externis, quam inter-  
nis methodice ſuccurrebatur.

Verum enim vero, cum & ex hac methodo nulla  
convaleſcentiæ ſpes aſſulgebat, cura ultimo chirurgo ite-  
rum committebatur, qui illam ſolus ordinabat, ſed  
fru-

frustra etiam per trium annorum spatium instituebat.

Durante hoc tempore canales orti quidem incisionibus saepius dilatabantur, & ulteriori genesi carnis luxuriantis catharteticis resistebatur, verum hæmorrhagiæ exin excitatæ, novam semper virium debilitatem inducebant; quæ de causâ chirurgus loci fistulam ex toto refecare etiam timebat, sed alium in arte peritum chirurgum Norimbergensem convocari jubebat.

Hic incisionem instituebat triangularem eo usque, donec tota ossis cariosi pars visui pateret; linteum carptum ad deligationem adhibendum spiritu acidulo minerali, Liq. anod. min. Hoff. imbibebatur, & præter evacuationes leniores usum feri lactis suadebat. Nulla horum habita ratione ichor magis acrior effluebat, & dolores magis durabant, nec non emplastra adplicata, postea ablata colorem magis nigrum contraxerant, atque hoc chirurgo No-

rim-

rimbergensi consulto, salivationem procurandi, an-  
sam dabat. Verum & hic turpis conatus erat fru-  
straneus; ulcus quidem ex parte exsiccabatur, sed  
novi supra olecranium conspiciabantur sinus, & ne-  
cesse erat, ut prima apertura Turundis aperta con-  
servaretur.

Chirurgus Norimbergensis valedicebat, & e-  
jus loci chirurgus per aliquot adhuc tempus Mi-  
seræ curam gerebat, & suasu chirurgi Norimbergens-  
is in sinus aquam vegeto-mineralern injiciebat, &  
carnem luxuriantem extracto Saturni, quoad exper-  
tus sum, illiniebat. Posthæc legionis chirurgus  
vicini propugnaculi in auxilium vocabatur. Hic  
una cum corrigentium internorum usu, externe ole-  
um caryophyllorum cum linteo carpto offi imponebat,  
& ulceris aperturam emplastro diasulphuris Rul. ob-  
tegebat.

Verum cum & hæc methodus frustranea  
erat, ulceris deligatio chirurgo ejus loci solum ite-  
rum committebatur.



Ab illo tempore aegrotata ex doloribus brachii continuantibus, nec non cephalalgicis accedentibus, viribus ita privabatur, ut omnis convalescentiae spes evanesceret, & mors omnium cruciatuum & dolorum finis ac tutissimum remedium expectaretur. Rumor curae viri cujusdam in vicinia, dysuria per tres annos afflicti, & multa frustra tentati, tandem & mihi morbum hunc inquirendi occasionem praebebat.

Narrabatur mihi descripta haec historia, & praesens loci chirurgus mitellam, in qua brachium suspensum erat, & vincturam loci laesi removebat.

Exostofin hic circa cubitum in parte illius superiore tres ulnae quadrantes in peripheria exaequantem, & superficiem hujus partis maxime inflammatae animadvertentem. Musculi brachii erant tabidi; Cutis vero circa locum ulceris livida erat & tumida ac tactu mollis.

Remotis



Remotis linteis carptis & emplastris, quæ valde graveolentia erant, apertura ulceris in margine externo cavitatis sigmoideæ sub capitulo radii detegebatur, quæ horizontaliter sub radio partim in cavitatem articulare ipsam, partim oblique sursum in condylum externum extremitatis inferioris ossis humeri terminabatur. Sub hac viarum disquisitione, ossa quoque cariola esse, instrumento exploratorio observabatur.

In superficie posteriori ossis humeri, quam musculus anconeus & supinator longus operiunt, tres sinuum calloforum aperturae erant conspicuæ; quorum duo interni oblique extrorsum, externus vero perpendiculariter deorsum circa angulum externum terminabantur in aperturam communem, quæ singulo sinui injectæ materiæ communem exitum concedebat.

Exostosis hæc, cum qua continuus synoviae effluxus conjunctus erat, tantam anchylosin causaverat, ut omnium quoque digitorum motus & tactus imminuti essent. Sub appressione vero condyli interni & musculi

sculi radiæ interni, pulsans & pungens dolor per totum antibrachium oriebatur.

Prognosis, quam mihi formabam, erat sequens: si possibile sit, ut tota humorum massa corrigi & emendari possit, etiam possibile esse, ut a deposita acri materia erosa ossa, confanari quoque possint; sine qua emendatione Amputatio cubiti ipsa frustranea foret.

Cum jam ægrota tentamini huic obsequi promiserat; jubebam ejus loci chirurgo, ut deligationem ulceris bis indies ita expediret: ossi scilicet carioso linteum captum purum ut imponeret, reliquum vero linteum linimento quodam, cujus basis erat ceratum saturni & aqua genuina Thedii, Arquebusade dicta, illiniret.

In aperturas sinuum injiciebatur liquor abstergens, qui ex vitello ovi & melle rosarum ad invicem intime mixtorum & balsamo copajivæ in spiritu frumenti soluto componebatur.

Tegmi-

Tegminis loco eligebam tantum emplastrum diachylon simplex.

Lateribus articulationis cubiti tenuina splenia applicabantur, & circum brachium a digitis usque ad humerum fascia, dolabra ascendens dicta, ducebatur.

Ad nimiam irritabilitatem, ex febre a sanie re-  
forpta ortam, imminuendam, emulsiones papaverinas,  
& ad invertendam ac mitigandam acrimoniam, deco-  
ctum ex partibus anaticis Rd. bardan. Liquirit. & sum-  
mit. Millefol. ordinabam.

Methodum hanc brevi tempore dolorum & febris  
remissio, ichoris effluxus imminutus, & illius ad pu-  
ris similitudinem mutatio, inflammationis externæ dis-  
cussio, & ulceris primarii, ac sinuum superiorum ma-  
jor apertura sequebantur; præcipue autem somnus a  
sudoribus nocturnis virium debilitatem inducentibus non  
amplius inturbabatur.



Ad ciborum nauseam continuatam, multisque ructibus comitatam sublevandam, nec non ad primas vias expurgandas, mane pulvis digestivus ex sale mirabili Glaub. Rhabarb. & Lapid. Cancr. commixtus, porrigebatur. Post meridiem vero Elixirium quoddam viscerale, ex Extr. Cichor. Rhei, Gent. rubr. in aquis carminativis solutis, addito Liq. Terræ foliat. tartar. compositum exhibebatur; Sæpius etiam Tinct. Rhab. aquos. cum tertia parte Elix. visceral. balsam. Hoffm. ordinabatur; ex quorum usu chylicatio æque ac sanguificatio reficiebantur ita, ut diu retentus fluxus menstruus rediret, animique hilaritatem majorem ægrota sentiret.

Necessariæ adhuc' ulceris ac sinuum dilatationes ope linimenti antiputridi, ex Myrrh. rubr. Mastich. sale ammoniac. Nitr. & paululum Camph. in spiritu frumenti solut. compositi, quo linteam carptum illinebatur, obtinebantur; ægrota enim omnem jam abhorrescebat incisionem.

Ex





Ex hujus usu condylus externus ac capitatus ita denudabatur, ut illum satis commode perforare & Essentia Euphorbii illinire possem. Ad hæc condylus externus non solum, sed & simul dimidia pars externa marginis articularis capituli radii simul atrofi exfoliabantur.

Exfoliatio successive continebat, præcipue si supra memoratus liquor in sinus injectus per inferiorem aperturam primariam iterum efflueret. Maximam vero condyli externi partem, nigram & mobilem, & ex qua oleosus & acris liquor exstillabat, perforando simul atque semel extrahi; dum inferius in margine majori eminentiæ trochlearis terebram adplicabam & oblique sursum substantiam penetrabam, ita ut instrumentum circa fossam posteriorem supra capitulum superius radii iterum exiret.

Loca jam ossis perforata spiritu Mastichis, carnosæ vero partes linimento antiputrido denuo deligebantur, quorum usu caro spongiosa evanescebat, pus  
magis

magis coctum adparebat, & duo sinus posteriores in articulationem penetrantes conlanabant. Externus vero sinus tamdiu apertus manebat, quamdiu nullæ amplius parvæ particulæ exfoliatæ sub injectione exabant.

Posthæc ossis portio tam, quam caro nova succrescebant, & mobilitas antibrachii semper liberior peragabatur; quæ vero plenarie restituebatur, quam primum exostosis condyli interni resoluta erat. Hanc resolutionem promovebat sapo saturninus sale volatili pro ratione circumstantiarum imprægnatus & inunctus.

Interne durante exfoliatione, ad vires restituendas & acrimoniam relictam evacuandam, bis quotidie cortex peruvianus cum cremore tartari porrigebatur, & loco potus per aliquot dies species supra memoratæ præscribebantur.

Harum specierum loco Lichen islandicus substituebatur, ad tentandum, an hoc simplex remedium, mucic-



mucilagine sua amara, compositionem superiorem datam effectu superaret. Vfus vero statim nauseofus erat, & ideo intermittebatur.


Durante hoc tempore fanationis ægrota iterum ingravidabatur, & in fine Anni millesimi feptingentefimi octuagesimi primi feliciter filiolum iterum peperit, & sub continua ac durabili fanitate in puerperio cubavit.

Ex hucusque dictis patet, uti ego quidem puto, in morbis quoque offium gravioribus licet, amputationem raro tentandam esse, cum levioribus chirurgicis sæpenumero cedant operationibus, quod sententiæ virorum in chirurgia clariffimorum consentaneum est. Quin imo interna pariter medicamenta heroica toties decantata non femper requiri, sed ordinariis ac vulgaris remediis ejusmodi mala cedere hiftoria morbi a me pertractati edocet.



C

THESES



THESES EX MEDICINA MISCEL-  
LANEAE.

I.

**M**edicamenta simplicia, compositis, nostratia, ple-  
risque exoticis preferenda.

II.

Varia purgantium genera indiscriminatim adhibe-  
re Medici prudentis non est.

III.

Animi affectus non omnibus & semper nocent.

IV.

Hominem sanum, functionum omnium integritas  
facit; in unius etiam defectu, morbus.

V.

Omnia, quæ fluidum nerveum dissipant vel absumunt aut enervant, stomachum lædunt.

VI.

Maxima sed rudis Medicorum scarlatanaria luditur in inspectione urinæ.

VII.

Crisium in morbis acutis diversitas, & regularis statisque diebus successus a distincta materiæ morbificæ qualitate & discrepante simul naturæ robore atque vivacitate dependet.

VIII.

Notabile discrimen vulnera absolute lethalia & vulnera per se lethalia intercedit.

IX.

Potulentorum abusus, humores non fluidiores reddit, sed spissiores.

X.

Venæsectio & debilitat & roborat.

XI.

Aer & destructor rerum est, & conservator.

C 2

XII.



## XII.

Optimum est omnibus infantibus lac matris, modo nullo morbo sit corruptum.

## XIII.

In febribus cum graviditate connexis Praeticum rationalem abstinere oportet ab usu emeticorum.

## XIV.

Nulla datur irritabilitas sine nervo,

## XV.

Cortex peruvianus & febrim tollit, & incendit

## XVI.

Nervi in cor exercent imperium.

## XVII.

Catarrhus modo causa, modo effectus est febris catarrhalis.

## XVIII.

Omnis critica morborum solutio provenit a febre acuta, Medicus ergo in dirigendis crisis occupatus, febre acutam attendere debet.

## XIX,

## XIX.

Si febris supprimatur, supprimitur crisis; si rite dirigatur, rite etiam dirigitur crisis.

## XX.

Ad sanguinis laudabilis copiam confert multum carniū recentium & jusculorum inde extractorum esus.

## XXI.

Melancholici ad morbos chronicos maxime pro-pendent.

## XXII.

Ex causis prægressis, quæ viscidum generare possunt, & ex effectibus præsentibus, quorum causa est visciditas, optime ac certissime concluditur humorum visciditas.

## XXIII.

Omnis nutritio fit mediantibus fluidis subtilissimis.

## XXIV.

Omne hæticorum delirium periculo non caret, sed malo potius omine oritur.

## XXV.

Non tamen semper ex ortu eorundem, ad citissimum interitum concludi debet.

## XXVI.

Electricitas in siccitate & humiditate glutinis Teste celeberr. Tissot quam optime se ferit.

## XXVII.

In degeneratione musculi in cassum adhibebitur.

## XXVIII.

In paralyfi a venere nimia nocet.





KD. 78

PICA





(10)

DISSERTATIO INAVGVRALIS  
CHIRVRGICO-MEDICA  
SISTENS CASVM  
SPINAE VENTOSAE FELI-  
CITER CVRATAE,

Q V A M  
CONSENTIENTE GRATIOSA F  
PRO LEGITIME OBTINEN  
MEDICINA G  
P R A E S  
IO. MELCHIOR

PHIL. ET MED. DR. VTRIVSQVE FA  
ADSESSORE ORD

PVBlico ERVDITORVM EX

AVTOR ET RES  
IOAN. FRIDERICVS

NORIMBERGE

DIE VII. OCTOBR. AN

IN AVDITORIO MEDICO

ERFORDIAE, LITTER

